

**Dissertatio medica inauguralis de impulsu anni tempestatum ... /  
Eruditorum examini subjicit Josephus Scott, Anglus.**

**Contributors**

Scott, Joseph.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebat Abernethy & Walker, 1810.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dy7b22d3>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
IMPULSU  
ANNI TEMPESTATUM.

DISSERTATIO MEDICA

DE

IMPUSU

ANNI TEMPESTATUM

DISSERTATIO MEDICA

D. GEORGE INAUGURANS D. M. P. B.

DE

IMPUSU

ANNI TEMPESTATUM



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
IMPULSU  
ANNI TEMPESTATUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET  
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

*Pro Gradu Doctoris,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS SCOTT,

Anglus,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINBURGENÆ,  
SOCIUS ORDINARIUS.

---

*Dubio illum tramite errare, atque incerto duci filo, qui in februm curatione non continenter ob oculos habet anni CONSTITUTIONEM, quatenus huic aut alteri morbo epidemice producendo favet, cæterisque morbis omnibus una concurrentibus in ejus similitudinem ac formam detorquendis. SYDENHAM.*

---

*Prid. Id. Septembris, hora locoque solitis.*

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1810.



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
IMPULSU  
ANNI TEMPESTATUM;

GUAM,  
ANNUNTIAT SUIIUS NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI VIRI,  
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.  
ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAELECTI;

NECNON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET  
NOBILISSIMAE MAGISTRATUS MEDICAE DECRETO;

JACOBO GIBSON DOCTORIS

SUMMIUSQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENTIBUS;

EDUCTIONEM TRAMINI SUBIICIT  
JOSEPHUS SCOTT,

Anglus,

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINBURGENSIS  
SOCIVS ORDINARIUS.

This thesis is printed at the Edinburgh University Press, and is  
not to be sold or otherwise disposed of without the consent of the  
University of Edinburgh. Printed and sold by James Ballantyne,  
Edinburgh.

Price 1s. 6d. per copy.

EDINBURGH:

JOHN WALKER & CO. PRINTERS.

1810.

PATRI SUO,  
**JOANNI SCOTT,**

*ARMIGERO,*

**HANC DISSERTATIONEM**

**PIETATE QUA DECET**

**SACRAT**

**AUCTOR.**

INSTITUTIONE

PHILOSOPHICA

PATRI SUO

JOANNI SCOTT,

AVVI TAVI

HANC DISSERTATIONEM

PIETATE QUA DECEAT

GRATEM PRAESTARE

SACRAT

AUCTOR

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
IMPULSU  
ANNI TEMPESTATUM.

---

QUÆDAM PRÆFANDA.

INDAGARE quantum et quousque ratio cœli et anni tempestatum Britanniãe propria valetudinem corporis afficiat, plurimum medicorum interest ; argumentum sane difficile : lectorque benigne spero maculis ignosceret in re hujusmodi tractanda, vix profecto evitandis.

Britannia Magna, præ situ proprio, terræ Continenti propinqua, forma angusta, et an-

fractuosa, cœlo vario, alio ex alio subito facto, perpetuo exagitur, multo magis quam cæteræ terrarum orbis regiones. Non pruina et frigore intentiore rigescentes, jure tamen de jove humido, malo, et vario, querimur; unoque die sæpe omnes cœli varietates, quas annus vertens prodere solet, experimur: id quod rem propositam eo majore premit difficultate, scilicet quia singularum effectus non diu perstant. Si vero eadem breves, citoque in alias abituræ, tantum corpora lædant, quanto magis necesse est diuturnæ noceant.

Antiqui maxime consuerunt hanc rei medicæ partem excolere, et permagni existimare; e quorum libris multa perutilia huc pertinentia haurienda. Medicinæ Pater, apud Aphor. xix. Sec. iii. hæc habet verba: “ Quilibet in quibusdam temporibus morbi  
“ fieri possunt, nonnulli tamen in quibus-  
“ dam magis, tum fiunt, tum irritantur.” Et de *æeribus, aquis et locis* disserens, ait, quo-



que apud Aphor. xi. Sec. iii. : “ Inter anni  
“ tempora, si hyems justo siccior et aquilonia  
“ fuerit, ver autem pluvium et austrinum,  
“ febres acutas fieri æstate necesse est, et  
“ lippitudines et difficultates intestinorum,  
“ præsertim mulieribus et viris natura hu-  
“ midioribus.”

Nemo, his perlectis, dubitare potest quin Hippocrates acerrimo studio cœlum et anni tempora perscrutatus esset. Quæ scripsit de cœlo terrarum “ sole nimium propinquo” ardentium, quodammodo etiamnum nostro conveniunt; quod luculenter docet eundem aëris habitum eadem ubique fere terrarum præstare.

Annis fere triginta abhinc, medici summa opera indagarunt et notarunt cœli rationem et mutationes singulas, per plures annos: tunc temporis, vero, invaluit humorum *pathologia*, et medicos admodum fefellit; iste *lensor* humorum injuria plurimi fiebat, de quo subtilius et ineptis argutiis disserentes graviter sæpe medici errarunt.



Huxhamus, apud librum de aëre et epidemicis, inter quædam præfanda, hanc habet orationem : “ At si diutius talis perstat tempestas, (viz. sicca valde et frigida) solida fiunt stricta perquam, et nimis elastica, fluida verum crassa valde, et glutinosa, imo ad vascula minutissima permeanda, multo minus idonea,” &c.

Boerhaavius et ejus æmuli, comperto inflammationes potissimum hyeme et vere incidere, simul notato harum propriam esse crustam albidam sanguinem vena incisa deductum obtegentem, frigus recta sanguinem afficere, nempe densare, voluerunt: eam vero crustam, non sanguine crassiore et glutinoso, sed minus proclivi, qui coëret, innixam esse comperimus; et frigus totum corpus firmare, constringere, incitare, ut cor et arteriæ validius salirent, et ut corpus ad inflammationem propensius esset, efficere. Sic illi medici de re ipsa rectum sentientes, falsi tamen ratiocinati sunt.

---

*QUEDAM*

## DE CÆLO ET ANNI TEMPESTATIBUS.

---

Spe incerta, certum mihi laborem sustuli.

TEREN. Hecyra.

---

**P**ARUM valetudo mutari aut affici videtur aëre tenuiore aut densiore; quanquam sæpe, intra viginti quatuor horas, gravitas ejus admodum subinde variet, imo, inter libram unam et octingentas. Tanta mutatio istius fluidi resilientis, tam ad vitæ necessarii flammam sustinendam, corpus plurimum impellere et afficere, alicui, primo aspectu, videatur; opinione multo tamen minus, usus edo-



cuit. Neque tamen inficiandum, asthmaticos et valetudine imbecillos inde torqueri.

Cœlo humido, nubilo, nebuloso, unicuique fere animi languescunt; cujus rei ratio profecto parum constat, ipsa autem notissima est.

Hominem bene valentem, et viribus integris, ad omnia vitæ munera aptissimum, parum lædunt cœli et tempestatum mutationes; maxime vero ægrotantes et senio confectos, quos valde torquent, imo sæpe conficiunt hæ graves et malæ. At vero medicinæ experti, longe alia quam vulgus, de vi tempestatum nociva sentiunt: illis placet easdem siccas maxime, huic vero, imbribus et nubilis humiditas valetudinem frangere et morbis patere; et re acrius perpensa, utramque sententiam quodammodo a vero prope abesse constabit. Quo tamen utra sit vera aut quousque utraque utendum sit, dijudicemus, necesse est scrutemur et cognoscamus, quæ cœli ratio extiterit antea, et qualis anni tem-



pestas fuerit, consideremus; sine quorum notitia, nihil certi de siccitatis aut humoris effectu statuendum est. “Neque solum interest, quales dies sint, sed etiam quales ante præcesserint.” Celsus.—Pluviæ et nubila diuturna plures morbos pariunt, eos vero leviores et longos; frigus tamen illis accedens multo pejores et fere mortiferos; qui sæpius inde Britannos autumno, et hyeme, male habent; quibus scilicet tempestatibus, typhus cum gravedine et distillatione, creberrime grassatur. Hujusmodi porro tempestates, aëre nimirum frigido et humido, iis morbis ægrotantibus, qui ad genus nervosum imbecillum referri solent, præcipue nocent: quippe quæ ingratae vetant, quo minus domo egressi bene exercentur, et solitis oblectamentis reficiantur, aut amicis intersint; adeo ut hypochondriacum vitæ pigeat, et hallucinanti false persuadeatur, dirissimos sibi morbos instare aut subesse. Siccæ contra tempestates, initio, pauca mala progignere



consuerunt, imo etiam animos erigere et corpora firmare videntur. Quod si eadem aliquandiu perstiterint, Euro simul spirante, res longe aliter se habere cœpit: tunc in populum, seu epidemice, grassari plures morbi graves incipiunt; sed potius, qui inflammationem et incitatus genus nervosum, quam qui imbecillitatem ostendunt, et sæpe lethales. Hinc constat, plures siccitatibus, quam pluviis et nebulis invalentibus, emori.

Si qua pestilentia aliunde orta ad Britanniam adveheretur, aut hic orta dispergatur, cœlo humido et nebulo, quam sicco, multo facilius et latius patebit: neque obscura ratio; humor enim maxime, ut carnes aut plantæ corruptæ putrescerent, auræ quæ pestiferæ gignerentur, efficit.

Quæ scripsit Robertus Wilson eques de morbis Ægypti propriis, compulerunt ut crederem aëra humore imbutum aptiorem esse, qui pestem gigneret, et genitam inter populum late spargeret. Scire autem licet, simili



ratione apud Britannos, typho, nostratum pesti maxime favere humore et nubilis malum jovem, id quod postea disserendum erit.

Constat igitur aëra siccum, non solum præsidio esse, vetanti ne pestis sæviat, verum etiam eidem jam urgenti mederi; scriptis enim mandatur, plerosque milites, qui Jaffæ valetudinario cubuerant peste correpti, et inde, quo exercitum attingerent, in loca arenis sicca et æstuosa profugerant, impotentes itineris explendi, ad Jaffam rediisse, pestis integerrimos, et paulo post omnibus vitæ officiis functos esse; id quod certe effecerant siccitates, quas itinerantes experti erant. Asilinius quoque asseruit, aliquem eo ægrius pestilentiam subiisse, quo siccus fuerit cælum.

His absolutis, sequitur ut pro viribus, argumenti gravissimam partem prosequerer; scilicet, quantum corporis valetudinem mutant, et quibus morbis homines male se habeant, singula anni tempora, Hyems, Ver, Æstas et Autumnus, indicarem.



---

**DE HYEME.**


---

See, winter comes, to rule the varied year,  
 Sullen and sad, with all his rising train—  
 Vapours, and clouds, and storms. Be these my theme.

THOMSON.

---

“ **HYEMS** autem capitis dolores, tussim et  
 “ quicquid in faucibus, in lateribus, in vis-  
 “ ceribus male contrahitur, irritat.” Celsus.  
 —Anni vertentis tempora summo consilio et  
 sapientia constituta sunt ; non solum delec-  
 tatur continua temporum mutatione genus  
 humanum, semper novitatis avidum, sed  
 etiam inde bona valetudine animi et corporis  
 fruitur, et frugibus terrarum, quæ nempe an-  
 ni tempestatum auxilio maturescunt, alitur.

Cito hominem novarum rerum natura cu-



pidum piget et tædet, unius rei solum contemplandæ, sentiendæ, subeundæ, aut peragendæ; omnes suas voluptates ab ærumnis ante perpetiendis percipit: sic brumam argentem passus, eo magis reduce vere mulcetur.

Res est notissima, terras gelu pigras polo utrique subnixas incolentes, tardius senescere, quam torridas, omnesque feras illic magis quam hic pinguescere; id quod constituit natura sapientia et consilio, scilicet quo magis calescant et frigus melius sustineant; et quia bonæ valetudinis est modice pinguescere, conjicio, *Hygeiam* frigus et pruinas affectare. In Britannia, hyems quæ levi pruina pigra est, saluberrima existit, quippe quæ ad ambulandum, currendum, hominem hortatur, eoque corpus roborat, cibi cupiditatem conciliat, et mirum in modum saluti consulit. Inter talem tempestatis habitum febres rarius sæviunt; quod si ante ortæ sint quam jupiter pruinosus accesserat, hic se-



quens nunquam non eas sedat, et quasi compedibus vincit, imo etiam fugat; nimirum halitus putres, qui febres pepererant, cohibendo, aëra purgat, nubila densa maligna fugat, et semper salutis prænuncio existit; hinc vetus proverbium, “ *A green Christmas-day makes a fat church-yard.*”

Ubicunque terrarum pestis et alii morbi maligni grassantur, scriptis mandatur, simul atque terræ pruina et nive canescere incipiant, hos illico fere evanescere: ægri antea languentes, adeo ut parum abesset quin extinguerentur, sensim quasi reviviscunt, omnia medicamenta et auxilia nunc magis proficiunt, quæ antea nihil omnino juverant. Celsus opinatur, “ pessimum ergo cælum esse, quod ægrum facit, adeo ut in id quoque genus, quod natura pejus est, in hoc statu salubris mutatio sit.”

Gregorius noster ait, inter prælegendum, sibi contigisse typhum testari longe lateque Edinburgi patentem, hyeme pruinosa solum-



modo vero ; et subtiliter notat, per ædes angustas, squalidas, perflatus penitus expertes, et inde tetro halitu corruptas ; quarum incolæ, scilicet, obturatis fenestris, quo cœli spiritam excluderent, ut pestilentia maligna pariatur, effecerant. Hæc gravis sunt momenti et observatu dignissima : quibus aliisque infra proponendis, nixi quidam pestilens typhus sit necne dubitare ausi sunt.

Pruina animantibus et plantis pariter salubris existit, et gravis fit hyems hac expertis : quæcunque e terra nascuntur, vere pruina excipiente, magis vigent ; qua nimirum prægressa, plantarum incitabilitas intenditur et adaugescit ; unde calor rediens, eo magis vires torpentes suscitatur.

Apud nostrates, hyeme nisi non pruinosa, sed nebulosa et humida, typhus raro inter populum grassari solet. Non raro autem hujusmodi hyemem Britannia ostendit ; quibus temporibus igitur nunquam non urbes magnas typhus aggreditur ; maxime vero



pauperum tabernas squalidas affectat, rarius divitum aedibus mundis, spatiosis, et cultis insidens. Quidam, neque parvi nominis, his aliisque freti, typhum pestilentem esse negarunt, et eum ad coeli proprietates parum compertas retulerunt, qui alia atque alia accepit nomina, pro locis, ubi has subierit aër mutationes; qualia febris *castrorum*, *carcerum*, *nosocomii*, *navium*, &c. quibus in locis hominum frequentia maxima aër haud parum vitiatur. Fordyce opinatur suum aut ovium turbam confertam, pari ratione, aëra corrumpere, et ut ipsi homines inde febriant ita efficere.

Huic certe sententiæ favetur, eo quod typhus fere solum certis anni tempestatibus, et coeli conditionibus, graviter sævire videtur; dum variola et rubeola fere nunquam et nusquam ardere nequeunt.

Qui hac sententia utuntur, nullum morbum pestilentem habendum existimant, nisi sub omni tempore et coeli genere, ex altero



febriente ad alterum sanum transire possit, nil omnino operæ conferentibus iis, quæ typho et scarlatinæ faveant; et quia his morbis ægrotantes e locis squalidis, angustis, aëre corrupto vitiatis, in spatiosa, munda et auris puris impleta, advecti, cum aliis vix unquam mala sua communicant; cujus rei extant innumera fere exempla \*, hinc typhus necne sit pestilens, dubitatur. Quæstionem adeo difficilem expedire non profiteor.

Hac autem anni tempestate varia et sæpe mutata, nemo fere gravedine, distillatione et angina vacat; quæ mala cuticulæ halitui, frigore represso, plerique deberi perhibent; potius vero, uti ipse opinor, ad calorem subito frigus excipientem sunt referenda; ut ubi alicui, calor foci ardentis frigus et pruinas sub dio statim sequitur, quando incitabilitate arteriarum, faucium, animæque fistularum, præ algore prægresso, adaugescente,

---

\* Vide Russell, Fordyce, et Rush.



proximum est, ut calor mox adhibitus eadem graviter et vehementer micare et reniti faceret, eo ut interdum inflammationes jam dictæ accenderentur.

Quod multa alia profecto lucide docent, vultus scilicet primo Euri algidi auris, dein subito ardoribus ignis, subjectus, admodum turgere et rubescere cœpit. Eodem spectat frigidarii effectus; quod primo intus repulso sanguine, ut idem, valido renixu, ad summam cutem, summa vi, iterum deferatur efficit.

Catarrhus, ut quidem alii morbi, facilius infertur, et eo levioribus noxis, quo sæpius antea aliquem male habuerit; imo humor pedibus, aut auræ frigidæ manibus, sine vestitu solito, admotæ, satis ad hunc morbum gignendum valent: summus iste consensus, quo varia membra et viscera corporis invicem consociantur, certe efficit, ut noxa huic parti illata, illam neque semper vicinam torqueat: hinc et ex lege supra comprehensa



tanti effectus e tantulis causis proficisci videntur.

Sæpissime inter hyemem, eodem die, cubicula et cœnacula, igne calefacta, invicem petimus et relinquimus, præ hodierna vivendi consuetudine; adeo ut calor, quem uno die corpora nostra subeunt, hac quam illa hora, tanto major aut minor sit, quantum insigniunt gradus xxv vel xxx thermometri Fahrenheit; quæ tanta mutatio aliquem ad plurimos morbos propensiozem non reddere nequit.

Quoties ipsa dira tabes pulmonalis, ex tam tenui initio orta, et per insidias adrepens, cito miseros absumit: hæc scilicet noxa ante latens, semina hujus mali generi humano adeo terribilis stimulat, et vigere facit; de quo paulo amplius disputare haud alienum judico.

Inter omnes fere scriptores convenit, strumam, tetrum istud vitium, plus minusve in pluribus morbis valere, scilicet horum sana-



tionem admodum impedire. Insuper rationem cœli Britannici varii, modo sicci, modo humidi, nunc æstuosi, nunc algidi, ad eos plurimos morbos, imo etiam strumæ cognatos alios pariendos, multum operæ conferre. Longum esset omnia ista mala meminisse, quibus hyeme torqueri solent Britanniarum incolæ, indole strumosa infecti; quod profecto vetant angusti limites, quibus contineor. Sat erit præcipua proferre.

Phthisis pulmonalis nunc, quam olim multo gravior et crebrior sævire comperitur; et indies sensim progredi et latius patere videtur, præ vivendi luxuriose, culte, et intemperanter consuetudine, quæ nunc certe maxime invalet: et, id quod omnium gentium historiæ docent, quadam lege necessaria, artibus ingenuis, et scientiis florentibus, et urbanitati accedit. Sullustius ornatus sic bene de luxus malis disseruit: “ Verum, ubi pro  
“ labore desidia; pro continentia et æqui-  
“ tate libido atque superbia invasere: for-



“tuna simul cum moribus immutatur.”

SALLUST. Catil.

Vestitus nunc justo parcior et tenuior, hodiernis temporibus, quam apud majores, multo minus valetudini secundæ tuendæ accommodatur; quem multum, e lana confectum oporteret, (id quod indicavit alma natura oves Britannis largita). Apud majores, ædes ea lege instructæ et ædificatæ sunt, ut auris purioribus multo liberius imbuantur; quo factum est aëra cubiculi non multo calidiorem ipso jove pleno extitisse, eoque morbos cœlo subito mutato exortos rariores contigisse. Vestes sericæ variæ, quas, contra quod docet, et oportet, fœminæ nostrates induere consuerunt, terras sole propinquo æstuosas incolentibus omnino sunt idoneæ.

Si vero, more mutato, indusio se laneo vestirent, exutis istis araneis, me iudice, non solum animo et corpore melius valerent, sed pulchriores essent, vultum ruberent, animos hilares, non pallidæ et languentes, quod nunc



sæpius accidit, sed ipsius Veneris rosea sanitate et venustate ridentes.

Plerique judicant vitam ignave actam, jovem paulo frigidiorum, impurum, non satis expurgatum, et renovatum, simul humidum et nebulosum, nulla præterea noxa auxiliante, strumam inferre posse. Talem vero aëris habitum hyemi Britanniaë plerumque subesse satis constat.

Nulla sane noxa, quam frigus humori accedens, strumam validius progignit: hic illi junctus multo magis, quam illud solum, corpus refrigerat. Hinc haud raro glandes *conglobatae* tumuisse videntur; qua vero ratione, jupiter frigidus et humidus corpus proclivius ad hanc labem diram reddat, statuere nequeo; plures causæ conjunctæ operam huc conferre videntur.

Homines et belluæ quadrupedes, a plagis ardentibus, quas incoluerant, ad algentes translati illico, in labem strumosam illabuntur. Hinc nil dubii est, ut opinor, ut frigora



cœli Britannici, imo aliarum Europæ regionum, magna ex parte, creberrimum hujus morbi incursum moliantur.

Phthisis, quanquam inveterascens, æstate mitescere quidem cœpit; frigus autem humori accedens cito, autumno et hyeme rediturum semper, ut ingravescat, novis viribus exardeat, et nec multo post, hominem extinguat, efficit.

Struma, per insulam nostram speciem adeo variam et multiplicem præ se fert, pro corporum proprietatibus, ætate, sexu, aliisque jam dictis, ut acerrimi medici peritiam sæpe falleret; inter etiam notas bonas et spei plenissimas, summam solertiam illudat.

“Lentaque miserrima tabe liquitur, ut glacies

“Incerto saucia sole.” OVID.

Quinetiam hyemum Britanniaë cœlum varium quosdam longis morbis implicat; quorum non pauci in acutos occisuros abeunt.

Hoc enim anni tempus sensibus ingratum, omnes fere impellit juvenes et senes, opum



indigos et divites, ut minus solito exercean-  
tur. Idoneo autem corporis motu mens sana  
in corpore sano plurimum innititur: auræ  
hyemis frigidæ cibi cupiditatem acuunt; cu-  
jus idcirco plus hyeme assumi solet, quan-  
do exercitatione plerumque minore, et hu-  
moribus secernendis et excernendis repressis,  
idem minus requiritur. Minus fellis, frigido  
quam æstuoso cœlo secerni satis innotescit;  
id quod necesse est alvum tardet. Hinc tem-  
pestatibus frigidis contingere solent *apo-  
plexia, sanguinis profluvia, colica, viscerum in-  
flammationes*, aliique plurimi morbi, quibus  
alvi pigrities favet, et quos incitat. “ Ex eo-  
“ que (i. e. ventre suppresso) inflammationes,  
“ caligines, capitis dolores, aliaque superioris  
“ partis mala increscunt.” CELSUS, lib. i.

Arthritide et rheumatismo magna multi-  
tudo ex agris nostratibus conflictatur: illam  
nunquam non exasperat jupiter frigidus et  
humidus; neque parum eodem valet ordo  
exercitationis intermissus; nimirum, sanguis,



æquo rivo, per omnes suas fistulas, ad totum corpus distributus arthricos admodum juvat; quod quantæ et quot causæ in iisdem impediunt, quisque sibi judicet.

Rheumatismus, ut cæteri morbi ad classem *pyrexia* pertinentes, sæpissime frigore summo corpori ante præter solitum calenti adhibito, enascitur; eo magis, si prius aliquis insudare cœperit.

Memoratu vero dignissimum est, viginti ampliusve homines, huic noxæ objectos, inde alios in alios morbos haud raro incidere. Frigus igitur omnia humana corpora eadem ratione afficit; alia vero aliis morbis male habet, prout varient eorundem proprietates, indoles, ætates, &c.; adeo ut modo *ophthalmia*, modo *pneumonia*, modo *diarrhœa*, alias *catarrhus*, alias *hydropes* aut *rheumatismus* invaderet, et cuique pars natura magis imbecilla torqueatur. Celsus rectissime sic ait:  
“ Possunt enim quædam subesse corpori,  
“ vel ex infirmitate ejus, vel ex aliquo effec-



“ tu, quæ vel in alio non sunt, vel in hoc  
 “ alias non fuerunt ; eaque per se non tan-  
 “ ta, ut concitent morbum, tamen obnoxium  
 “ magis aliis injuriis corpus efficiant.” Lib. i.

Huic (i. e. hyeme) potissimum anni tem-  
 pestati arthritidis incumbere solet, “ Januario  
 “ exeunte aut incipiente Februario,” ut Sy-  
 denham scripsit. Aër frigidus et nubibus ma-  
 lus, his temporibus, cutis spiritum reprimit, et  
 ab idonea exercitatione deterret ; ideoque,  
 corpore repleto, hunc morbum facile arces-  
 sit : neque parum eodem valet ventriculi  
 functio corporis ignavia læsa ; quippe quæ  
 semper, in arthritide, languescit et corrup-  
 pitur.

Gregorius inter prælegendum meminit  
 signa plurima hoc cœli genere instare et sub-  
 esse pravæ concoctionis, calore verno et æsti-  
 vo abitura : id quod docere videtur his ad  
 terras meridionales cœlo mitiore beatas mi-  
 grandum esse.

Quinetiam *scarlatina* sæpe, hac anni tem-



pestate, grassatur inter algorem et nubila, neque raro apud Britannos *epidemice*; creberrima autem esse consuevit, verno tempore, si profecto huic tale cœlum contingat.

Qui *asthmate* torquentur, plurimum cœli, annique temporum ratione affici consuerunt; quos tamen potissimum lædit aër varius, invicem modo frigidus, modo calore fovens: quo fere nihil plus operæ ad accessiones exasperandas confert. Quibus vero ex his tubercula pulmonis ante extiterint, gravissimæ fit noxæ istiusmodi cœlum; quippe quod hæc incitat et inflammat, et tandem, ut exulcerentur, et miseri dira tabe pulmonali emacrescant et extinguantur, efficit. Inter *asthmaticos* melius et facilius spirant alii auris puris, quales ruris sunt propriæ; alii corruptis istis magnarum urbium: illud autem convenit, omnem subitam mutationem nunquam non esse gravem.

Profluvium sanguinis hanc præ cæteris anni tempestatibus affectat; neque ratio ob-



scura ; inflammationi enim cognatum est, plerumque incitatiores vasorum motu nixum ; quo fit ut plus justo sanguinis in vasa resoluta impelleretur.

Hypochondriacis jupiter frigore, nebulis aut fumis malus, animorum langorem et ærumnas graviter intendit. Eodem potissimum spectant noctes longæ hyemis ; quarum scilicet magnam partem vigilare solemus : hypochondriacum vero sæpe otiosum, et ignavia vires animi atterentem, vanis miseris suam mentem quasi exedentem, harum tædet. Oportet igitur medicus animo potius quam corpori medeatur, et *ethici* vice fungatur ; imo etiam sanitatem reducere sæpe non medicinæ sed religionis est.

Heberdenus opinatur infantes potissimum tempestatibus frigidis absumi, ideoque hyeme et vere maxime ; porro longe plures ex his, nondum annos duos natos, et plerumque alvo laborantes. Teneri nempe et irritabiles præcipue ad summam cutem, frigus gravioris



subeundi, et crebrarum nostri cœli mutationum patiendarum, sunt impotentes. Iste autem consensus, quo summum corpus et intestina se invicem afficiunt, notissimus est : et quot infantes ratio hyemis Britannicæ occidit, usus quotannis optime edocet.

Ex jam memoratis constat, senes hoc anni tempore multum urgeri, et quibuscunque malis ægrotent, *asthmate, arthritide, rheumatismo*, vel *catarrho*, hæc omnia hyeme ingravescere ; et senes, quia juventutis viribus et robore carent, tunc multo gravius torqueri ; hoc denique potissimum anni tempore emori, frigore labefactos et confectos.



---

**DE VERE.**


---

Come, gentle *Spring*, ethereal mildness, come,  
 And from the bosom of yon dropping cloud,  
 While music wakes around, veil'd in a shower  
 Of shadowing roses, on our plains descend.

THOMSON.

---

**S**QUIDEM hyems et ver in Britannia, cœli  
 rationem, sæpe parum inter se discrepant, et  
 fere æqualiter humida et frigida esse consue-  
 runt, facile cuivis contemplanti videretur,  
 utrique eosdem morbos omnino fere sub-  
 esse ; id quod profecto non raro evenit :  
 plerumque vero aliquantum interest. Constat,  
 igitur, multa ex iis, quæ jam nunc de hyeme  
 scripsi, pari jure ad ver pertinere : quocirca



tenui tantum opus erit sermone, quo hanc argumenti partem absolverem.

Vernam tempestatem poëtæ carminibus et fabulis, omnium jucundissimam esse cecinerunt, et Veneri et Amoribus sacram.

Oh! qu'après de rudes tempêtes

Il est agréable de voir

Que les aquilons, sans pouvoir

N'osent plus gronder sur nos têtes!

Que le repos est doux après de longs travaux!

Qu'on aime le plaisir qui suit beaucoup de maux!

Qu'après un long hiver le *printemps* a de charmes!

Voy. Racine, tome iii. de l'edit. de 1789.

Quanticunque habeatur, qualemcunque jucunditatem præ se ferat hoc anni tempus in aliis terris, uti Italia, &c., certe ver Britanicum haudquaquam est aut saluberrimum aut gratissimum ex anni temporibus, et profecto potius nubilis, algore, jove malo et hyemis propriis stipari observatur, quam ridere illo sereno sole et favonio blando, quibus carmina donarunt: quod almi æstatis ardores interdum adeo celeriter sequuntur, ut terræ



fruges, antea crudas et languidas, cito pubescere et maturescere, et fructus acerbos dulcescere videamus. Apud terras septentrionales, pruina rigentes, idem multo citius perficitur; et paucis fere diebus, sole ardente algores excipiente, plantæ tempestivam maturitatem attingunt.

Tabulæ mortuorum solennes vere plures quam alias emori indicant; quod tamen minus veris ipsius, quam hyemis prægressæ noxis inniti videtur: siquidem plerique morbi pessimi, hyeme orti, non statim occidunt, sed diutius trahunt; qua ratione, ver tot homines conficere videtur, antea scilicet in morbos incidentes, tunc tandem attrita valetudine, pereunt.

Inter omnes convenit, vernum tempus potissimum inflammationes arcessere et accendere; quas ad frigus ejusdem quæsitissimum, quo in hac insula stipari solet, referre nobis placet; nimirum imbres, ultima hyeme decedentes, mirum in modum, aëra re-



frigerant, humoribus e solo in auras ascendentibus et vaporatis. Chemia edocuit vapores *calorici* capaciores quam humorem, illud undique adsciscere, et eo vicina refrigerare. Hinc patet causa, quare ver tantum habeat frigoris. Hinc inflammationes, quales pulmonis, pleuræ, faucium, &c. ex quo floruit Hippocrates ipse, usque ad Culleni tempora, semper veris propriæ sunt habitæ. Corpus, igitur, hac tempestate, plenius et incitatus esse consuevit, et ad istam *diathesin phlogisticam* fit propensum, atque idonea cura adhibita, nunc satis commoda, imo optima fruitur valetudine. Quantum sane frigus ad hominem roborandum, ciendum, et implendum valeat, nemo ex rei medicæ expertis ignorat: halitum, qui per cutem summam manat, cohibet: hanc ipsam constringit, præ mirabili consensu jam dicto, simul ventriculi fibras confirmat, eoque, ut aliquis bene cibos appetat et concoquat, facit; vim cordis et arteriarum intendit, musculos firmat, ampliat,



et magnopere totum genus nervosum concitat; quod natura universa reviviscens, et quasi pullulans et florens, varia et pulchra multum juvat et reficit; eoque magis, moëstis, tristibus et longis hyemis noctibus præteritis, vernæ et æstivæ jucunditate collatis, homo hilarior gaudet et viget.

Morbi publice grassantes, uti *influenza*, &c. qui *epidemici* nominari solent, verum potissimum omnium temporum affectare videntur, præsertim siccitate et subsolano invalentibus. Iste catarrhus pestilens, cui nomen *influenza*, sæpe, per omnes fere Europæ terras simul patuit; quod paucis ante annis accidit: quocunque vero pervenerit, idem cœli genus prævaluit; cujus idcirco cuidam proprietati, non satis perspectæ hic morbus, quadam saltem ex parte, deberi videtur; quem tamen contagio niti denegare, esse magis temeritatis, quam sani judicii, multis persuadetur. Neque vero facile est intellectu, quomodo contagium tam celeriter omnes



Europæ terras permearet ; pleraque sane obscura pariter ad hoc malum, *typhum*, et *scarlatinam* pertinentia, hactenus ingenium fefellerunt, posteris expedienda.

Anni proximi vernum tempus cœlum habuit influentiaë pariendæ aptissimum, qua omnique fere pestilentia alia homines vacarunt ; genus equinum tamen graviter ægrotauit, adeo ut plures *equi* subito conciderint, quasi jovis fulmine percussi.

Præter hæc, typhus interdum hoc tempore sævit ; neque scarlatina non in populum diffunditur, eo magis si antecesserint, aut subsint imbres cum frigore.

Plerique auctores anginam *trachealem* inter morbos veris proprios recensuere ; et quia frigus modo hunc, modo catarrhum infert, quidam hæc genere inter se differre negantes, idem penitus malum esse proponunt ; quod illius hujusve speciem et formam induit, prout gravius aut levius insideat. Infantes, quos corripit et strangulat an-



gina, corpora pleniora, et validiora habere consuerunt; hinc inflammatio gravis, incitatiores cordis et arteriarum vires, sæpius venam incidi, et corpus exinaniri, desiderantes, huic morbo contingunt.

Febres intermittentes, in quibusdam agris Angliæ, vere humido et frigido oriuntur; at præ tempore æstivo, salutariter fovente, mox secuturo, et ex aliis causis, leviores quam autumno fiunt. Plerique ex morbis veris propriis potissimum exinanitiones desiderant; et totam fere curationem, quæ *regimen anti-phlogisticum* vocatur, id quod e frigore hujus temporis implente, firmante et ciente, exoriri videtur.

Febres continuæ ineuntes, hac quam cæteris anni partibus magis ardent, et intensiorem istam *diathesin phlogisticam* ostendunt, et venam secari postulant. Eandem fere rationem exhibent febres intermittentes, quibus, vere multo magis, quam autumno, exinanitionibus opus est, imo sanguine misso, antequam cinchona officinalis detur.

---



---

**DE ÆSTATE.**


---

From brightening fields of ether fair disclos'd,  
 Child of the sun, refulgent *Summer* comes,  
 In pride of youth, and felt through nature's depth :  
 He comes attended by the sultry hours,  
 And ever-fanning breezes, on his way.

THOMSON.

---

CONSTAT halitum quem cutis spirat æstate, quam cæteris anni temporibus liberiores esse. Natura, sapiens et provida, humores supervacaneos, et, ne foris ejiciantur, nocituros, alia via præter solitum impedita, per aliam copia majore excernit : hac vero lege renes et arteriæ summæ cutis suis muneribus perfunguntur. Res notissima est, inter ardores æstivos urinam, rufam, parcam, acriorem, sali-



bus abundare; hyeme multam et dilutam evasuram.

Æstate, etiamsi hæc saluberrima pars anni habetur, nequaquam paucissimi moriuntur; id quod profecto malis prægressorum temporum debetur, nunc tandem ægros extinguentibus. Sic populus, missis antecedentibus causis, false de rebus judicat.

Sæpe calor æstatis Britannicæ valde offendit et torquet, idque ob humorem cœli, qui accedere solet. Dies æstivus, sole ardente serenus, ab eodem nubilo, temperie differre existimatur, quantum insigniunt septem gradus thermometri Fahrenheitii.

Menses Junius et Julius in Britannia, si cœlum humidum et nubilum habentes omni vento vacent, multo gravius quam in Indiæ terris æstuosus, corpus vexabunt; scilicet præ aëre hic quam illic puriore: aëra enim purum, pellucidum radii calorigi ad jubar solis pertinentes non calefaciunt; aër nimi-



rum non incalescit, nisi radiis primo aliena opaca per eum volitantia calefacientibus.

Æstate potissimum aggrediuntur turbæ ventriculi et intestinorum apud hanc insulam. Haud raro calor et frigus tam subito hoc anni tempore se invicem excipiunt, ut accurate morborum meminisse, qui in æstatem incidunt, difficile esset; neque raro hæc tempestas hyemis proprios exhibet. Æstas vero vi morbos leniendi et finiendi, quam pariendi magis est insignis; et certe cœli jucunditate ad exercitationem idoneam hortante, almoque calore fovente, facit ut sanguis æqualiter per omnes suos rivos et fistulas profluat: unde necesse est sæpe morbos præcaveat, jam urgentes levet vel tollat, et convalescentes roboret et reficiat: plerosque morbos optime prævenit sub dio exerceri.

Quantum profecto valeat exercitatio ad sanitatem tuendam, docent rure degentes, vegeti, floridi, robusti; quo auxilio nemo, si modo velit, carere potest. Neque tamen ma-



gis juvare quam negligi solet : fibras motrices firmat, et ampliat ; et mirum in modum ut animi vigeant et hilarentur, efficit. Hinc venator, auceps, alacer, torosus, animo et corpore optime valet ; quo nullus atræ bilis, et morborum debilitate et genere nervoso læso ortorum purior existit. Multi quos frigus hyemis et veris rheumatismo et arthritide exercuerat, nunc tandem expediuntur. Calor igitur æstatis variis rationibus prodest. Urbani imbecilli, pallidi, jucunditate cœli impelluntur, ut rus abirent : animus natura ibi pulchra, varia, florente, delectatus, a propriis curis et vanis miseræ imaginibus sese abstrahit, et salus et hilaritas cito redeunt.

Multos autem morbos, imo pessimos levat aut tollit hæc tempestas ; quales, dira et multiplex ista struma, phthisis pulmonalis, quæ jam ante confirmata et inveterascens mitescere cœpit ; sedatur tussis ; sudores cohibentur ; reviviscunt vires ; æger cibos appetit.

Jam dicta probe docent quare phthisi,

podagra et rheumatismo tortis, ad Lusitaniam  
domo migrare auxilietur. Tumores omni-  
geni ad strumam pertinentes nunc sæpe pe-  
nitus resolvuntur, adeo ut medico injuria  
conceduntur laudes et grates tempori soli  
debitæ. Sanguinis profluvia, aut abundan-  
tia in partibus jam aut imminuuntur aut pror-  
sus decedunt; nempe præ sanguine æquali-  
ter ad omnes partes circumfluente.



---

 DE AUTUMNO.
 

---

Crown'd with the sickle and the wheaten sheaf,  
 While *Autumn*, nodding o'er the yellow plain,  
 Comes jovial on, the doric reed once more,  
 Well pleas'd, I tune.                    THOMSON.

---

HÆC anni tempestas, si modo tempeste  
 felix adsit, pauciora gignit mala; locis vero  
 torridis, et quibusdam aliis regionibus longe  
 gravissimum omnium est tempus.

“ Hic quondam *morbo cali* miseranda coorta est  
 “ Tempestas, totoque autumnu incanduit æstu,  
 “ Et genus omne neci pecudum dedit, omne fèrarum,  
 “ Corruptique lacus, infecit pabula tabo.  
 “ Nec via mortis erat simplex,” &c.—

Virg. Georg. lib. iii. 478.

—ardores nempe meridiani frigore vespertino et nocturno excepti, viscera cibus concoquendis dicata turbare habentur, et potissimum choleram inferre, quæ ab omnibus scriptoribus medicis, quasi κατ' ἐξοκην, ad autumnum refertur.

Si tamen ejus morbi in Britannia mitiores esse consuerunt, calor tamen et frigus invicem subito accedentia præsertim eos inducunt. Hepar admodum afficitur; bilis solito uberior, eoque acrior intestina irritat, et inde choleram progignit.

Dysenteria etiam mitis, et proxima ad diarrhœam accedens, sæpissime in autumnum et æstatem incidit. Ad halitum cutis incerta temperie imminutum, et humores intus in intestinum repulsos referenda, et sæpe maxime ad subitum calorem frigus sequentem; qua ratione, ineunte æstate, mensibus Maio nempe et Junio, exoritur, id quod anno MDCCCVIII sub tali habitu cœli per Angliam septentrionalem accidit.



Quia autumnus iniens per insulam nostram calidissimum anni tempus esse solet, tunc potissimum *hepatis* munus turbatur; fel ubertim profluit, et alvus biliosa vires convellit; calor hepar irritabilius reddit; eoque potare, injurgitare, aut exerceri præter idoneum modum, hac præ cæteris tempestatibus, nocebit; hinc alvi fluxus, icterus, et aliæ turbæ viscerum quæ cibis concoquendis dicantur, hoc tempore præsertim urgent. Neque fructus acidi immodice sumpti parum eodem spectant.

Viribus corporis motricibus ardore æstivo antecedente resolutis, imbecillitas et inde multi morbi facile accedunt.

Febres continuæ igitur pessimi generis, typhus nimirum, grassantur, quæ ultimo autumno et ineunte hyeme, quam alias gravio-rem virium resolutionem habent, neque corpus exaniri patiuntur. Idem de febribus intermittentibus dicere licet: has medici semper maxime ad autumnum pertinere existi-



marunt; neque injuria, si ei subessent pluviae crebrae, nebula et ardores: nihil profecto potius quam calor humori junctus pessimas excitat febres; imo similis æstas easdem pariter exhibet.

Constat omnes inflammationes hoc anni tempore potius debilitate generis nervosi quam incitatione ardente stipari et partim oriri: huc rheumatismus potissimum spectat. Haud raro autumnno potius vires cinchona, vino et stimulis juvari, quam sanguine detracto et corpore depleto sedari desiderat; neque non raro feбри fere intermittenti accedit.

Denique, si jam aggredieretur *pleuræ* aut pulmonis inflammatio, parce sanguinem elicere oportebit, ne aqua intercus debilitatem exinde ortam sequatur; tantum morborum speciem ratio cœli et anni temporis regit et mutat.

Res enim, contra, omnino se habet vere, uti supra comprehensum fuit, frigore salu-



tariter corpus afficiente : ipse testatus sum unum alterumve exemplum hujus inflammationis in mala jam dicta desiturae.

Proposito jam pro viribus absoluto, solummodo restat ut peterem mihi condonentur errores, si quos incuria aliave causa fuderit ; eo magis perpensa ipsius argumenti difficultate ; incertum enim et varium Britanniae cœlum facit, ut nulla fere anni tempestas non interdum cæterarum propria mala exhibeat.

FINIS.





